



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 75. D. Ignatii conatus pro Societate sua in Galliis stabilienda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

§. LXXV.

Sæcul. XVI.

A C. 1554.

*D. Ignatii conatus pro Societate sua
in Galliis stabilienda.*

Denique die prima Decembris Facultas habito confesso sententiam suam, quæ Jesuitarum privilegia tangebatur, proferebat, modo tamen hisce Patribus parum propitio. Hi equidem jamjam, ut supra memoravimus, Claramontanum Palatium incolebant, a Prato Episcopo admissi, deerat tamen ipsis Regium diploma, vi cujus eos tanquam Religiosos in regnum recipi oporteret: nec ea res magnis carebat obstaculis, ad quæ submovenda D. Ignatius præprimis Joanni Baptistæ Violæ datis literis præcipiebat, ut unacum sociis suis juxta normam ipsi Roma transmissam Professorum vota nuncuparet: ut autem Regias quoque literas obtineret, Cardinalis Lotharingii, qui tum Romæ agebat, gratiam sibi demereri studebat. Hic Cardinalis validam apud Henricum Regem operam se pro Societate impensurum spondebat, nec promissorum facilitati operis constantia deerat; quippe in Franciam reversus tam indefesso studio Jesuitarum causam urgebat, ut literas tamdiu denegatas, vi quarum in Regnum reciperentur, a Rege impetraret. Datum erat hoc diploma Anno Christi

*Bouhours vie
de S. Ignace
l. 4. p. 331.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1554.
Christi millesimo quingentesimo quin-
quagesimo die vigesima Januarii, ea ta-
men adjecta erat conditio, ut ex bonis,
quæ ipsis eleemosynæ nomine donaren-
tur, ædes, seu Collegium duntaxat Pa-
risiis, non autem in aliis urbibus pro So-
cietate erigeretur.

§. LXXVI.

*Regii Senatus oppositio contra Je-
suitarum receptionem.*

Argentor. l. c.
fol. 191.
Nihilominus Regis Ministri inspecto
hoc diplomate suam mentem desu-
per scripto aperiebant, petentes, ne e-
jusmodi literæ ad acta referrentur, aut
robur obtinerent, vel saltem, ut Senatui
supplicaretur, quatenus expositis ratio-
nibus Rex hoc diploma confirmari pro-
hiberet. Verum Senatus hac super re
nullam pronuntiabat sententiam, nec e-
tiam hæc literas ad acta referri am-
plius urgebat. Ast quamvis hujus di-
plomatis auctoritas elusa videretur, I-
gnatius tamen nondum spem abjicie-
bat, fore, ut alio tempore illius vis re-
viviscat: unde interim tempori ceden-
dum ratus haud obscure cognoscebat,
quod semper consiliis, quæ ad salutem
animarum tendunt, ab initio cuncta ob-
stent, atque in omni causâ superatis
primis difficultatibus per ipsam tem-
poris moram res maturetur.

§. LXXVII.